MARIANI VICTORII ANNOTATIONES IN HIERONYMI CATALOGUM SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM.

Titulum operis ex vetustis & emendatioribus manuscriptis exemplaribus, ita ut legitis, ideo restituimus, quod ridiculum prorsus nobis visum est, ut epistolæ nomine opus ipsum inscriptum circumferretur. Recte autem nos ita restituisse ex prima Hieronymi ad Augustinum epistola potes discere.

PROEMIUM.

Ut Tranquillum sequens. Extat Tranquilli liber de claris oratoribus & grammaticis. Varronis autem, Santræ, Nepotis & Hygini interierunt.

Celsus, Porphyrius, Iulianus. Docti quidem, sed pernicioſissimi Christianæ religionis hostes ii fuerunt. Iulianum Cyrillus Alexandrinus scriptis egregie impugnavit, Celsum Origenes, Porphyrium Methodius Tyri.

SIMON.

Filius Ioannis. Jonæ, non Joannis multi codices habent. Sophronius ita vertit, & tam Hieronymus alibi, quam ceteri Ecclesiæ nostræ proceres sic interpretantur, cum columbæ filium Petrum dictum esse asserunt. Jona enim, non Joannes, columbam significat. Nos quia sic est in Evangelio, nihil mutavimus.

Quæ catholicæ nominantur. Hoc magis placet,

quam canonicæ ; & ita Sophronius vertit. Dicuntur autem catholicæ, quod ad omnes Christianos pertineant, & ad omnes dispersionis filios scriptæ sint.

Libri autem, e quibus unus actorum ejus inscribitur. Libri autem ejus, e quibus &c. erat olim. Nos vocem, Ejus, expunximus, tum quia incongrua erat lectio, tum etiam, quod nec Sophronius, nec emendati codices eam haberent.

JACOBUS.

In tantum, ut camelorum duritiem traxisse ejus genua crederentur. Aliter, in tantum, ut in camelorum duritiem transisse ejus genua crederentur. Hunc sensum Sophronius quoque secutus videtur, dum ait, ὑπερβαίνειν νομίζεσθαι.

Tollens ad cœlum manus. Tendens ad cœlum manus, olim legebatur, verum cum nostra emendatione consentiunt tam Sophronius, qui vertit ἐπάρας, quam antiqui codices manuscripti.

Fullonis fuste, quo uda vestimenta extorqueri solent. Rudia, pro uda, perperam antea legebatur. Fullonis enim ars est lavare vestimenta, lotaque contorquere, ut exsiccentur, non rudia: quæ nec etiam contorquentur, sed poliuntur tenduntur que.

Eum putant conditum. νομίζεσθαι, ipse etiam vertit Sophronius ; cum tamen antea legeretur, putaverunt.

PAULUS.

Romæ pro Christo capite truncatus. Olim, truncatur.

Propter styli sermonisque dissonantiam. Distantiam, legebatur prius : nos genuinam restituimus ex antiquis codicibus lectionem. Hanc autem ipse etiam Sophronius sequitur ; διαφωνίαν enim vertit.

LUCAS.

περιόδους. Apocryphos hos esse, meminit etiam libro

libro primo contra Iovianum, significat autem, itinera, ac circuitus.

Convictum a Ioanne. Ita legunt codices manuscripti emendatiores. Transalpini tamen correctiores habebant, Convictum apud Joannem. Sophronius vertit, ἐπὶ ἰωάννῃ.

Et ob id loco excidisse. Loco, olim deerat.

Vixit octoginta & quatuor annos uxorem non habens. Hæc verba neque in antiquis manuscriptis exemplaribus, neque apud Sophronium invenimus: reliquimus tamen ut erant antea.

Vicesimo Constantini anno. Constantini, habet tam Sophronius, quam antiqui codices: cum tamen antea, Constantii legeretur.

MARCUS.

Ecclesiæ legendum sua auctoritate dedit, sicut scribunt Clemens in sexto ὑποτυπώσεων libro, & Papias, Hierapolitanus episcopus. Transalpina editio erat: ecclesiæ legendum sua auctoritate edidit, sicut Clemens in sexto ὑποτυπώσεων libro scribit, & Papias, Hierosolymitanus episcopus. Papiam autem Hierapolitanum episcopum tam hic ex Sophronio, quam infra ex ipso Hieronymo discere potes.

Salutat vos ecclesia, quæ est in Babylone collecta. συνεκλεκτὴ est in Græco apud Sophronium, verum legendum est, συλλεκτὴ. Falso legebatur antea, salutat vos quæ in Babylone cum electa: & apud Sophronium similiter σὺν τῇ ἐκλεκτῇ, pro συνεκλεκτὴ.

Tanta doctrina. Olim, tantæ doctrinæ, sed falso.

IOANNES.

Et nonnulli putant duas memorias ejusdem Ioannis Evangelistæ esse: super qua re, cum per ordinem ad Papiam

piam auditorem ejus ventum fuerit, differemus. Duas memoratas, nos in vetuſtis manuſcriptis codici us invenimus : verum duas memorias emendato legit, qui ſenſus ex Sophronio quoque elicitur. Habet enim, δύο μνημεῖα. Intelligit autem Hieronymus duas commemoratas Ioannis epiſtolas, ut infra in Papia legitur. Quod ſi vox, memorias, magis placet, de monumentis, quod ambo Ioannis Evangeliſtæ fuerint, intelligas, non unum Ioannis Evangeliſtæ alterum Ioannis presbyteri: quæ tamen nobis opinio non probatur. Ipſum tamen verbum non immutavimus.

Sub Nerua Principe redit Epheſum. Sub Pertinace Principe redit Epheſum, ridendo olim errore tam Sophronius, quam Eraſmus legebant. Quaſi Pertinax ante Trajanum, de quo ſtatim ſubjicitur, fuerit, & redierit ab exilio ſub Pertinace, ſub Trajano deinde deceſſerit. Ex hoc autem loco conjicio, ipſam quoque Sophronii verſionem vitiatam eſſe, parumq; ei in catalogo credendum abſq; hiſtoriæ cognitione, & veterum exemplarium fide. Nos ita ex antiquis codicibus reſtituimus, nec dubitandum, quin recte, conſiderato Papiæ loco.

HERMAS.

Hermam, cujus Apoſtolus Paulus, ad Romanos ſcribens meminit. Hujus liber, qui paſtor inſcribitur, & viſiones multas ad eccleſiam pertinẽtes continet, adhuc extat.

PHILO.

Philo Iudæus, natione Alexandrinus. πεχθεὶς ἐν ἀλεξανδρείᾳ, Sophronius vertit, id eſt, natus Alexandriæ.

De his, quæ ſenſu precamur & deteſtamur. ἀπομαρτυρόμεθα, eodem prorſus verſu, eſt in Sophronio. Antea tamen legebatur, teſtamur. Significat autem ea, quæ nolumus, contraria ſcilicet iis, quæ optamus precamurq;

camurq;. Superius quoque alios quosdam errores expunximus, ut illum: Et ob hanc causam Ecclesiam Marci, discipuli Petri, apud Alexandriam sectatores ornasse laudibus. Nam vocem, Ecclesiam, uti superfluam, & verum perturbantem sensum, Sophronii & exemplarium ope adjuti delevimus.

De Alexandro, & quod propriam rationem muta animalia habent. Sic etiam est in Sophronio, priustamen legebatur, de Alexandro, quod propriam.

SENECA.

Socionis stoici discipulus. Sophronius Sozontis, legit, non Socionis: sed vitiata lectio est. Quidam codices, Photionis, habebant, sed falso. Socionem enim stoicum Senecæ præceptorem fuisse, Lactantius Firmianus lib. 6. prodit.

JOSEPHUS.

Ἀρχαιότητ&. Antiquitatis.

Περὶ αὐτοκράτορ& λογισμοῦ. De imperatrice, seu dominatrice prudentia. Hic liber ac ipso Erasmo versus, extat.

CLEMENS.

Et ceteris cooperatoribus meis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Hæc omnia in latinis codicibus extant, cum tamen apud Sophronium desint. Quidam codices pro cooperatoribus habent, coadjutoribus.

Et tertius Cletus. Cletus legendum est, non Anacletus, ut Sophronius legit & interpres.

IGNATIUS.

Palpate me, et videte, quia non sum dæmonium incorporale. Incorporale, legendum esse, ἀσωματικὸν, non corporale, seu σωματικὸν, ut Erasmus ex Sophronio vitiato legit, tum alia antiqua, quæ nos vidimus, ma-

nu-

nuſcripta exemplaria, tum ſenſus ipſe, & evangelii verba, in hunc eundem ſenſum prolata, docent, cum dicitur, palpate, & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.

Cumque damnatus eſſet ad beſtias, &, ardore patiendi, rugientes audiret leones, ait. Perperam legebatur antea: Cumque jam damnatus eſſet ad beſtias, ardore patiendi, cum rugientes audiret leones, ait.

POLYCARPUS.

Regente Aniceto. Hic decimus poſt Petrum fuit Epiſcopus, ſub quo Egeſippus etiam Romam venit. Pro Aniceto, Anacleto, perperam alicubi legebatur: quippe cum Anacletus, qui Clementi ſucceſſit, ſub Adriano Imperatore floruerit: quo tempore nulla erat de paſchatis celebratione contentio.

Cognoſcis nos. Cognoſce nos, quædam habent exemplaria, & ita vertit Sophronius, γνώρισε, inquiens, ἡμᾶς.

PAPIAS.

Hic dicitur mille annorum Judaicam edidiſſe δευτέρωσιν. Ex Joannis in Apocalypſi loco quodam male intellecto, mille annorum fabula conficta eſt: qua dicitur, Chriſtum, poſt univerſalem corporum reſurrectionem, mille annis corporaliter, ac viſibiliter in Judæa cum ſanctis regnaturum, convicturumque. Hujus hæreſeos profeſſores, ab annorum numero, Chiliaſtæ ſunt appellati. Inter quos, præter connumeratos a D. Hieronymo hic Iuſtinum Martyrem, acerrimum aſſertorem, & Nepotem quendam epiſcopum, quem impugnavit Dionyſius Alexandrinus, invenio. Errorem fuiſſe in tot ſanctis, non hæreſim, quæ opinionis obſtinatione ſtatuitur, veritate in eccleſia catholica nondum definita propalataque, dicendum eſt. δευτέρωσις autem dici-

dicitur altera quædam, ac posterior interpretatio, traditioque, cujusmodi est Cabalistica, Thalmudisticaque: de qua hic Hieronymum intellexisse, forte non ab re fuerit existimare. Nam præter quod in eis Judæi de futuro Christi in terris regno, atque convivio, & de epulis Leviathan, multa somniantes comminiscuntur, constat alibi a Hieronymo Judaicas ἐυπρεώσεις illas vocatas.

ARISTIDES.

Apud Philologos. Id est eruditionis ac scientiæ amatores, studiososque. Hujus volumen philosophorum sententiis plenum, idque imitatum postea fuisse Justinum Martyrem, in epistola ad Magnum oratorem idem Hieronymus scribit.

AGRIPPA.

Abraxas. Apud Irenæum plura de his barbaris, ficticiisque nominibus invenies, præsertim de ἄβρασξας, quo secundum supputationem Græcam, dierum anni numerus continetur, id est CCCLXV.

GNOSTICI.

Gnostici. γνωστικοὶ a scientia quam sibi vindicabant, Græce ita dicti sunt.

EGESIPPVS.

Præterea adversus idola disputans, quo primum errore crevissent, subtexit historiam. Olim, Ex quo primum. Sophronius similiter, ἐκ ποίας πλάνης.

Antonius. Hic ab Adriano dilectus est, in ejusq; honorem ab eodem erecta est urbs, Adrianopolis postea appellata.

JUSTINVS.

Ἔλεγχος. Redargutio.

Sed & aliud de monarchia Dei. Est & alius liber, quem prænotavit Psalten, & alius de anima. Dialogus

contra Iudæos. Sic ex Mediceo & Fesulano codicibus emendavimus. Olim corrupte legebatur: sed & alium de Monarchia Dei, & alium librum, quem prænotavit Psalten, & alium de anima. Dialogus contra Judæum.

Διατριβάς. Conflictationes, ac disputationes philosophorum ita dicuntur.

MELITO.

Ἐκλογῶν. Excerptionum.

Hujus elegans, & declamatorium ingenium laudans Tertullianus. Laudans,vox, quæ est apud Sophronium Ἐπαινῶν, deerat antea.

APOLLINARIVS SEV APOLLINARIS.

Sub Imperatore M. Antonino Vero. Sic etiam legit Sophronius, & Mediceus,Fesulanusque codices. Transalpini tamen typographi, sub imperatore M. Antonino secundo.

DIONYSIVS.

Ut non solum suæ civitatis & provinciæ populos, sed & aliorum urbium, & provinciarum episcopos epistolis erudiret. Sic ex antiquis exemplaribus, contradicente ipso Sophronio, reliquimus. Quem sensum genuinum esse, ea quæ sequuntur, ostendunt: cum dicitur, scripsisse ad Lacedæmonios, Athenienses, Nicomedienses, item ad Pinytum, & Soterem episcopos. Sophronius autem legit: sed & aliarum urbium, & provinciarum epistolis erudiret. Vox, Episcopos, deest apud illum.

TATIANVS.

Novum condidit hæresim quæ Encratitarum dicitur. Seu ἐγκρατιτῶν, id est, abstinentium: qui, quod a matrimonio, & quibusdam abstinerent cibis, ita dicti sunt.

MODESTVS.

Feruntur sub nomine ejus & alia συντάγματα. Compo-

si-

positiones. Ita habent emendatiores codices. Sophronius tamen legit συγγράμματα, hoc est, conscriptiones. Verbum, ψευδεπίγραφα, quod sequitur, falso adscripta, hoc est non ejusdem autoris, significat.

IRENÆVS.

Egregium commentarium. Sic habent emendatiores codices, non Græcam vocem σύνταγμα.

Multos Asiæ, & Orientis Episcopos, qui à decima quarta luna. Qui, olim deerat.

PANTÆNVS.

Revertens Alexandriam secum detulit. Ἐκόμισε etiam est apud Sophronium. Antea, retulit, legebatur.

RHODON.

Adversum Cathaphrygas. Adversus Phrygas, quod est apud Sophronium. κατὰ τῶν Φρυγῶν, alibi legitur. Nos vocem apud Latinos magis usitatam secuti sumus. Sic enim supra in Apollinario & alibi eam usurpat Hieronymus.

CLEMENS.

Κατηχήσεων. Institutionum, quibus catechumeni, quorum inde ducitur nomen, in fide instruuntur.

Στρωμάτεις. Impressi hodie sunt hi Clementis libri: quorum nomen, quod varia eruditione contexi sint, ita sunt appellati.

Ὑποτυπώσεων. Subnotationum, seu confirmationum.

Προσεφώνησε. Addixit, dedicavit, ac veluti acclamavit. Cicero ad Atticum hac voce similiter usus est.

Χρονογραφίας. Temporum descriptiones, seu annales.

Quod opusculum in veteribus invenire non potui. ἐν τοῖς παλαιοῖς, habet sophronius; & ita legunt codices manuscripti Mediceus, & Fesulanus: deerat tamen antea.

ἀρχαιογονίας. Vox ipsa antiquas generationes sonat.

MILTIADES.

Et principi illius temporis Apologeticum dedit. Sic ex vetustis codicibus emendavimus, itidemque ex Sophronio, qui habet βασιλεῖ. Principibus tamen antea legebatur.

APOLLONIVS.

Crinem fucat Propheta? sibi oculos linit? Propheta vestibus & gemmis ornatur? Propheta tabula ludit, & tesseris? Priscillam & Maximillam, insanas feminas, his verbis notat. Vitia autem erant alicubi, & literis quibusdam, & numero.

Quæ scripsit περὶ ἐκστάσεως. Quæ, scilicet volumina, antea legebatur, Quos. Ἔκστασις autem est raptus mentis, ac a seipso abscessus quidam.

POLYCRATES

Et Pontifex ejus fuit. Sic Sophronius, καὶ ἱερεὺς αὐτοῦ γέγονε. Antea tamen vox, fuit, deerat.

TERTVLLIANVS.

Vidi ego quendam Paulum Concordiæ, quod opidum Italiæ est, senem. Vitam Pauli eremitæ, hoc est Paulo seni Paulum seniorem huic Hieronymus misit. Epistola exstat in primo tomo.

ORIGENES.

Adjutorem sibi fecisse κατηχήσεως. Hoc est, institutionis, qua tirunculi in fide instruuntur. Res est hodie omissa, cum tamen maxime in Ecclesia necessaria sit.

Heraclan presbyterum iterum, qui sub habitu philosophi perseverabat. Vocem, Iterum, delevimus, uti superfluam & a Sophronio etiam prætermissam.

Sed & illud nemo ignorat. οὐδεὶς ἀγνοεῖ, habet Sophronius, & ita in emendatis codicibus invenitur: apud transalpinos tamen typographos deerat, Nemo ignorat.

Philippum imperatorem, qui primus de Regibus Ro-

Romanis Christianus fuit. Hoc ipsum asserit in historia etiam Eusebius, addens, quod vitam sceleribus contaminatam, infamatamque, publica eluerit mundaveritque pœnitentia, sicque sacris mysteriis participaverit.

Aquilæ Ponticiproselyti. Hic ex gentibus in Iudaismum adscitus est. Quidam eundem cum Onkelos, Chaldæa translatione apud Hebræos celebri, esse ajunt, Iudæi, e genere Titi imperatoris fuisse, falso, ut eorum moris est, comminiscuntur, quippe cum Ponticus, non Italus, fuerit Aquila.

Poterit liquido cognoscere. δυνήσεται. Antea tamen legebatur, possit.

AMBROSIVS.

Hujus industria & sumptu, & instantia, ad hunc infinita Origenes dictavit volumina. Delenda mihi esse prorsus videntur hæ duæ voculæ, ad hunc, verum quia Sophronius eas habet, & nos nullam hac in re exemplarium opem habuimus, manum a litura abstinuimus.

TRYPHON.

Et de dichomematibus. καὶ τῶν διχοτομάτων, habet Sophronius. Est autem διχοτόμημα sectio in duas partes. In has autem Abraham victimas secuit. Historia ex Genesi notissima est. Cæterum de vacca rufa historia in Numeris continetur. Olim tamen legebatur: Et de vacca rufa in Deuteronomio.

GAJVS.

Quæ fertur ad Hebræos. Scribens ad Paulinum Hieronymus, inter Pauli epistolas eam, quæ est ad Hebræos, a plerisque asserit non connumerari: ipse superius cum Clementis stylo maxime convenire prodit. Barnabæ ab aliis adscribi, vel Lucæ, alibi ait. Hæc autem omnia refert, aliorum potius recitans opiniones,

quam ſuam ſtatuens : Ipſe enim Pauli eam eſſe tam ſupra in Paulo , quam alibi aſſeveranter teſtatur, aſſerens ſtyli diſſonantiam ex linguæ prodiiſſe diverſitate , Paulique nomen propterea omiſſum,quod inviſum eſſet Iudæis : & ſcribens ad Dardanum , eam non ſolum a ſe & ab orientis eccleſiis , ſed ab omnibus Græci ſermonis ſcriptoribus, pro Pauli epiſtola recipi, dilucide aſſeverat. Quam epiſtolam omnino vide. Eſt autem circa principium tertii tomi.

HIPPOLYTUS.

Hippolytus cujusdam eccleſiæ Epiſcopus : nomen quippe urbis ſcire non potui. Portuenſis Epiſcopus fuit Hippolytus , ejusque marmorea ſtatua una cum Paſchali circulo, ſex & decem annorum inſculpto, ætate noſtra inventa fuit, & in bibliotheca Vaticana a Marcello Cervino Cardinali, qui poſtea in Pontificem maximum aſſumptus eſt, viro ſanctiſſimo pariter & eruditiſſimo, & literarum omnium diligentiſſimo vindice, repoſita.

Sexdecim annorum circulum. Paſchatis inveniendi per æquinoctium vernale ratione nondum excogitata, ſatisfieri eccleſiæ a multis olim putabatur, ne ſemper hac de re conſuleretur Ægyptus ; ſi vel per ſexdecim, vel per decem & novem futuros annos illud ſtatueretur. Laborarunt etiam in hac re Theophilus Alexandrinus,& ex Latinis Beda Britannus. Nunc mutato anni ſtatu canonibusque ex regula Nicæni concilii erutis, interdum non congruentibus, vel componendi anni, vel mutandorum canonum actio aliqua ineunda eſſet.

Notarios. Notarios vocat, qui dictantis verba veloci manu ac per notas interdum proſequentes ſcribebant. Librarios autem, qui ita deſcripta accuratius poſtea libris commendabant.

Incredibili ſtudio. ἀνυπόιστῳ σπουδῇ. intolerabili ſtudio, legit

legit Sophronius. Verum latina exemplaria inter se universa conveniunt.

Ἐργοδιώκτην. Operis impulsorem, instigatoremque. Vtitur hac eadem voce Hieronymus in epitaphio Nepotiani. ἔργον opus, διώκειν impellere.

ALEXANDER.

Et nunc mecum eundem orationibus regit. Coadjutorem aliquem assumi posse Episcopum, ex hoc Hieronymi testimonio liquido constat: verum id tunc fieri solummodo potest, cum vel senio vel morbo aliquo, ab Episcopali munere peragendo prior impeditur Episcopus. Ex his enim causis Valerius Augustinum, & alter Valerius Cæsaraugustanus, qui blæsa erat lingua, Vincentium, Oschæ in Hispania natum, & Narcissus Alexandrum hunc sibi coadjutores accepere, similiter & alii alios.

JVLIUS.

Ἀπὸ τῆ σχίνε σχίσαι, καὶ ἀπὸ τῆ πρίνε πρίσαι. Daniel dum Susannæ patrocinium sumens, senes judices separatim interrogat, ubinam Susannam cum juvene lenone concubuisse viderint, cum unum sub σχίνω, id est lentisco, alterum vero sub πρίνῳ, hoc est, ilice se illam vidisse audivit, alludens & utramque hanc vocem, & Græcam interponens etymologiam, dividet, inquit, primo, quod est σχίσαι, & alteri secabit, quod est πρίσαι, te Deus &c. ac si latine alicui, qui illam se vidisse dixisset, sub ilice, illico te perdet Deus, vel si sub malo, malo te afficiet Deus, intulisset.

THEODORUS.

Πανηγυρικὸν εὐχαριστίας. Quod laudes gratitudinis Origenis contineret, eique de conversione sua gratias ageret, ita, Svida etiam teste, vocatus est liber, qui adhuc Vaticana in Bibliotheca exstat. Hic est Gregorius

us ille, qui a Græcis ob miraculorum patrationem alter Moyses, & θαυματοῦργος cognominatus est.

Μετάφρασιν. Cum aliis verbis id ipsum clarius dicitur, μετάφρασις appellatur. Extare dicitur hic liber. Sophronius ἐκφρασιν habet.

CORNELIUS.

Scripsit epistolam ad Flavianum. Quinam, quantusq; vir fuerit Flavianus, quotve persecutionum procellis exagitatus, ex Chalcedonensi concilio, & Ephesino altero notissima historia est.

CYPRIANUS.

Cum sole clariora sint ejus opera. Impressa sunt hæc Romæ emendatissima anno præterito, Aldinis typis, è vetustissimis codicibus, quorum unus nongentorum fere annorum, Veronensis erat ecclesiæ.

DIONYSIUS.

Κατηχήσεων. Institutionum, seu initiationum fidei: hinc catechumenorum nomen.

Et Origenis valde insignis adjutor fuit. Auditor, antea perperam legebatur. Adjutor enim habent incorrupta exemplaria Mediceum, & Fesulanum: & Sophronius ἑταῖρος similiter legit. Sensus est, Dionysium Origenem in instruendis catechumenis adjuvisse, sub Heracla, qui & ipse Origenis adjutor hac in re fuit. Quapropter supra in Origene scribitur, quod reversus Alexandriam Origenes, Heraclam presbyterum, qui sub habitu Philosophi perseverabat, adjutorem sibi κατηχήσεως fecerit. Tam igitur Heraclas, quam sub eo Dionysius Origenem in Catechismo juverunt.

Ἑορταστικὰς. Id est, de diebus festis conscriptæ epistolæ.

Ad Heraclam. Hic est idem de quo nunc dicebamus Episcopus, qui post Demetrium Alexandrinam rexit ecclesiam, ut supra in Origine scribit Hieronymus,

mus, ſicut poſt Heraclam ipſe Dionyſius. Sophronius Hieracem legit, & interpres Hieraclam: verum utraque lectio vitiata eſt.

περὶ γυμνασίου. De gymnaſio, ſeu exercitatione.

Ad Armenios de pœnitentia, & de ordine delictorum. Cumnec is liber, neque illi quos Theodorus, Beda, aliiq; pœnitentiales ediderunt, extent libri, nos ſimilem ex veteribus collectum, adverſus hæreſim noſtri temporis eo, quo potuimus, ingenio compoſuimus, & ſacramento confeſſionis adjunctum edidimus.

NOVATIANUS.

Quod græce dicitur καθαρὸν. Hoc eſt, purum, mundum & maculis carens. Catharos enim propterea ſe vocabant, quod poſt baptiſmum non peccaſſent: poſt illum enim pœnitentes non ſuſcipiebant.

ANATOLIUS.

Et ex decem libris Arithmeticæ inſtitutionis intelligere poſſumus. Sic emendata exemplaria, ſic etiam Sophronius habet. Antea tamen legebatur; & decem libris de Arithmeticæ inſtitutionibus intelligere poſſumus.

VICTORINUS.

Victorinus, Pictavienſis Epiſcopus. Olim, Pitabionenſis. Pictavienſis in libro contra Helvidium nuncupatur: & ita habet major exemplarium pars. Alibi in Hieronymo Pictavionenſis legitur, in epiſtola ſc. quæ eſt contra Vigilantium.

PAMPHILVS.

Viginti quinque ἐξηγήσεων. Id eſt, expoſitionum, enarrationum.

Quanto magis tot millia verborum, per quæ mihi videtur ſui ſanguinis ſignaſſe veſtigia. Aliter, quæ mihi videtur ſui ſanguinis ſignaſſe veſtigiis. Sophronius autem; per quæ ut mihi videtur ſuæ paſſionis reliquit veſtigia.

Apologeticum pro Origene. Se à Rufino deceptum hoc ſcripſiſſe, in ſecundo Apologiæ contra eum libro teſtatur. Primum enim Euſebii pro Origene volumen Pamphilo à Rufino adſcriptum fuerat.

PIERIUS.

Conſtat hunc miræ ασκήσεως. Exercitationis.

De Prophetâ Oſee, quem in pervigilio Paſchæ habitum ipſe ſermo demonſtrat. Aliter: De Prophetia Oſee, quem in vigilia Paſchæ, &c. Sophronius cum vulgata, quam nos etiam ſequimur, editione conſentit.

FIRMIANVS.

Habemus ejus ſympoſium, quod adoleſcentulus ſcripſit Africæ, & ὁδοιπορικὸν *de Africa usque ad Nicomediam, hexametris ſcriptum verſibus.* Africæ, & olim deerat: nos ex Sophronio & vetuſtis exemplaribus reſtituimus. ὁδοιπορικὸν autem, latine itinerarium dicere poſſumus.

EUSEBIUS.

Εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως. Evangelicæ demonſtrationis. εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς. Evangelicæ præparationis. θεοφανείας. Divinæ apparitionis.

Omnimoda hiſtoria, & eorum ἐπιτομὴ. Olim, Omnimodam hiſtoriam, & ἐπιτομὴν, Sophronius legit.

χρονικῶν κανόνων παντοδαπῆς ἱστορίας, καὶ τῶν ἐπιτομή. Chronicorum canonum omnimodæ hiſtoriæ, & eorum epitome.

Τοπικῶν liber unus. τοπικῶν λόγος εἷς, eſt apud Sophronium. Olim tamen legebatur, Librum unum.

Pro Origene libri ſex. λόγοι ἕξ, habet Sophronius, olim tamen erat, libros ſex: ſicut ſtatim, Libros tres, pro libri tres, falſo caſibus commutatis.

Eruditiſſimi commentarii. Olim, eruditiſſimos commen-

mentarios, sed falso, omnia hæc ex vetustissimis exemplaribus, & ex ipso Sophronio restituimus.

METHODIUS.

De Pythonissa, & de αὐτεξουσίᾳ. De eo qui suæ potestatis, seu liberi arbitrii est. Hunc usque ad decem millia versuum contra Porphyrium scripsisse, alibi meminit.

EUSTATHIUS.

De Engastrimytho. περὶ ἐγγαστριμύθου, habet etiam Sophronius, id est, de ventricoso sermone, vel verius, de eo cujusmodi erat Pythonissa, qui ex ventre, Dæmone ibi manente, responsum dabat.

MARCELLUS.

Sub Constantio & Constante. Sophronius etiam ita legit. Antea tamen, Sub Constante, & Constantino, legebatur.

Diversarum ὑποθέσεων. Materiarum, seu argumentorum.

ATHANASIUS.

ἑορταστικὰς *epistolæ.* De festis diebus scilicet conscriptæ.

Contra Valentem & Ursatium. Arrianæ sectæ hi fuerunt, & Ariminensis synodi patres, se catholicos simulantes, deceperunt. Lege eundem Hieronymum adversus Luciferianos.

ANTONIUS.

Floruit sub Constantino, & filiis ejus regnantibus. Vox, Sub, alicubi deest. Verum Sophronium & vulgatam editionem secuti, nos eam reliquimus. Sequitur deinde: Vixit annos centum quinque. Quæ verba etsi tam apud Sophronium, quam apud codices multos deerant, nos tamen, cum historiæ cognitionis causa,

sa, tum quia in vulgata illa editione reperiebantur, minime delevimus.

BASILIUS.

Scripsit contra Marcellum, & de virginitate librum. καὶ περὶ παρθενίας λόγον. Et, conjunctionem, ex græco, latinisq; codicibus restituimus. Deerat enim antea.

THEODORUS.

Et magis historicæ intelligentiæ. Vox, magis, abundare hic videtur, nec illa a Sophronio additur: verum, quia consentientia latina exemplaria omnia fere eam habent, propterea non amovimus.

EUSEBIUS.

Eusebius, Emesenus Episcopus. Episcopus, nec Sophronius habet, nec Mediceum, Fesulanumq; manuscripta exemplaria: nos tamen, vulgatam secuti editionem, reliquimus: quia, ubi contrarium clare non constat, nihil omnino e vulgatis codicibus immutamus, aut delemus.

DONATUS.

Sub Constante, Constantioque principibus. Constantioque, deest apud Sophronium; nos ex manuscriptis quibusdam exemplaribus restituimus.

LUCIFER.

Lucifer Caralitanus. Sic habent omnia ferme manuscripta exemplaria, præsertim Mediceum, Fesulanumque. Sophronius tamen, Caracalitanus, legit. Est autem Caralis Sardiniæ urbs. Meminit Luciferi Hilarius in primo libro ad Constantium Imperatorem, & idem Hieronymus in appendice ad Chronicon Eusebii, & Platina in Liberio. Eum in exilium missum, quod Nicænam fidem damnare noluerit, reversumque una cum Eusebio Vercellensi post restitutum Athanasium, proditur. Augustinus Luciferianum Caralitanum ipse etiam nominat,

nat, & inter hæreticos connumerat. Hujus hiſtoriam late ſcribunt Marcellinus & Fauſtinus in libro de Schiſmate Urſiani, qui liber Romæ in bibliotheca Vaticana extat, ſed nondum impreſſus: fuit autem Lucifer, exceptis iis in quibus à D. Hieronymo arguitur, catholicus, & Nicænæ ſynodi propugnator. Nos de eo in libro contra Luciferianos plura diximus.

ACACIUS.

Συμμίκτων ζητημάτων. Commixtarum quæſtionum.

Felicem Arianum. Vocem, Arianum, nec Sophronius, neque Mediceum, Feſulanumque exemplaria habent.

SERAPION.

Carus Antonio Monacho. Sic emendavimus ex vetuſtis exemplaribus: etſi Sophronius & vulgata transalpinorum editio, haberent, Carus Antonii monachi.

HILARIUS.

Hiſtoriam Ariminenſis, & Seleucienſis Synodi continens. Pro Ariminenſis, falſo Sophronius legit, Arimyſinenſis, hoc eſt, ἀρημυσίνης συνόδου.

Sive contra Dioſcorum, & liber hymnorum, & myſteriorum alius. Sophronius habet: Sive contra Dioſcorum, & Libertinos: & alius liber, Myſteriorum: ſed vitiata lectio eſt. Hieronymus in epiſtola ad Magnum oratorem Romanum, duodecim Quintiliani libros & ſtylo imitatum fuiſſe & numero, Hilarium prodit: & in brevi libello, quem ſcripſit contra Dioſcorum medicum, plurimum in litteris potuiſſe, aſſerit.

VICTORINUS.

Qui ab eruditis modo intelliguntur. Cum vulgata editione Sophronius quoque conſentit: habet enim ὅσοις παρὰ τῶν πεπαιδευμένων μόνον νοοῦνται. Hoc eſt, qui ab eruditis tantum intelliguntur. Mediceum tamen, Feſu-

lanumque exemplaria legunt: Qui nisi ab eruditis non intelliguntur.

TITUS.

Adversum Manichæos. Olim, Manichæum. Nos ita ex Sophronio, & manuscriptis aliquot exemplaribus emendavimus.

DAMASUS.

Multaque & brevia metro edidit. Mediceus, Fesulanusque codices habent, Multaque & brevia opuscula heroico metro edidit: Verum addita à quopiam puto; Nam Sophronius ea non habet.

APOLLINARIUS.

Apollinarius. Aliter, Apollinaris. Verum tam Sophronius, quam Hieronymus alibi, hoc est in apologia contra Rufinum, Apollinarium vocant.

Patre presbytero. Patre Probo, habent exemplaria quædam Brixiana, manuscripta. Sophronius cum vulgata editione consentit.

Innumerabilia scribens volumina. Ἀναρίθμητα συντάξας τεύχη. Similiter habent Sophronius, & Mediceus, Fesulanusq; codices. Deerat tamen antea vox, Volumina. Hunc Apollinarium Laodicenum in hæresim postea declinasse, & ex Ecclesia postea egressum, in epistola ad Augustinum Hieronymus prodit. Inter cætera autem Psalmos interpretatus est, sicut Theodorus Heracleotes, & Asterius Scythopolitanus.

PHOTINUS.

In quibus vel præcipui sunt. Ἀφ' ὧν εἰσιν ἐξαίρετοι, sc. λόγοι, sive libri. Olim legebatur, Præcipua.

DIDYMUS.

Commentarios in Iob. Ex Sophronio, & aliquot manuscriptis codicibus hæc verba reposuimus: deerant enim antea.

AQUI-

AQUILIUS.

ὁδοιπορικὸν. Itinerarium: καταστροφὴν, conversionem: πεῖραν, experientiam.

CYRILLUS.

κατηχήσεις. Institutiones. Hæ catecheses numero XVIII. cum V. mystagogicis, nunc sunt impressæ. Floruit Cyrillus sub Constantio, ad quem de cruce, quæ Hierosolymis in cœlo apparuit, doctam scripsit epistolam. Ejectus est a sede ab Arrianis, eique suffecti Heraclius prius, mox Hilarius: post quos sub Theodosio episcopatum recepit: sub quo etiam obiit. Successit ei Joannes, Ioanni autem Nepos. Constantinopolitana synodus scribens ad Damasum, Ambrosium & cæteros Episcopos Romæ congregatos, honorifice de eo meminit: ipseque dum viveret, Concilio Seleucienſi interfuit. Græci die XXIII. Martii ejus celebrant festum.

GREGORIUS NAZIANZENUS.

Adversus Eunomium liber unus. Cum hac vulgata lectione consentit etiam Sophronius. Mediceus tamen Fesulanusque codices habent, Libri duo. Quæ lectio transposita fuit: contra Julianum enim Imperatorem libros duos scripsit.

TIBERIANUS.

Canis reversus ad vomitum suum filiam, devotam Christo virginem, matrimonio copulavit. Acriter reprehendit Hieronymus, quod infelici hac nostra ætate passim alicubi fit; jureq; fieri etiam ab hæreticis asseveratur. Matrimonio autem copulavit, dixit, hoc est, κατηνάγκασεν, coëgit ut nuberet, alteri scilicet, non sibi.

JOANNES.

Joannes Antiochenæ ecclesiæ presbyter. Hic dicitur esse præclarissimus ille omnium græcorum orthodoxorum

doxorum pater, Chryſoſtomus, ab aureo ore propter ſermonis elegantiam cognominatus: cujus ſcripta, quia celebria per ſe, ac vulgatiſſima ſunt, operæ pretium minime erit ea aut enumerare, aut laudare.

HIERONYMUS.

Conſolatoriam de morte filiæ ad Paulam. θυγατρὸς, habet Sophronius etiam. Antea, Filii legebatur. Extat hæc epiſtola primo tomo numero 25. & incipit: Quis dabit capiti meo.

In epiſtolam ad Epheſios commentariorum libros tres. Deerant hæc olim: nos ex Sophronio & Florentinis codicibus repoſuimus.

HEN-